DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA

DE

JVRISDICTIONIS ALLODIALIS ET FEVDALIS CONFLICTV AC VTRIVSQVE RATIONE FEVDORVM COMPETENTIA,

QVAM

SVB DIVINI NVMINIS AVSPICIIS

AC

ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS

CONSENSV

IN PERANTIQVA ELECTORALI VNIVERSITATE ERFFVRTHENSI,

SVB PRÆSIDIO

DN. TOBIÆ JAC. REINHARTH,

JCTI, COM. PALAT. CÆS. JVRID. FACVLT. ASSESSORIS ET COD. P. P. ORD. CIVITAT. SYNDICI ET CONSVLIS,

PRO GRADV DOCTORALI

RITE CAPESSENDO,

PVBLICÆ CENSVRÆ EXPONIT

GVILIELMVS HENRICVS HILLE,

MIND. WESTPHAL.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

DIE XXVI. JANVARII M DCC XXX.

ERFORDIÆ, Litteris GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

PERILLVSTRI
EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO

DOMINO

HENRICO A BUNAV

CLIENTELARVM SEISELIZ RADEWIZ ET LEHNIZSCH DYNASTÆ ETC.

AVGVSTISSIMI POLONIARVM REGIS ET PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIÆ CONSILIARIO STATVS INTIMO ET CANCELLARIO TRIBVNALIS REDITVVM PROVINCIALIVM CONSILIARIO ET CENSVALI PRIMARIO

DVCATVS ALTENBVRGICI DIRECTORI PROVINCIALI, NEC NON PER-ILLVSTRIS BUNAVIANÆ GENTIS SENIORI DESIGNATO

ETC.

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO.

NEC MINVS

VIRO

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

HENRICO

A BUNAV

IN DAHLEN, DOMSEN, GOELLNIZ ET GROSTAVSCHWIZ DYNASTÆ

AVGVSTISSIMI POLONIARVM REGIS ET PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIÆ IN SVMMO SENATV ECCLESIASTICO PRÆSIDI SACRI PALATII REGII COMITI AB AVLÆ JVSTITIÆ ET PROVOCATIONVM CONSILIIS IN SVPREMA CVRIA PROVINCIALI LIPSIENSI ADSESSORI

RELIQVA,

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO.

DENIQVE

VIRO

PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO

DOMINO

OTTONI HENR. A BERLEPSCH

DYNASTÆ IN STOHSEN ET GROEBIZ

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIÆ A PROVOCATIONVM CONSILIIS, REDITVVM REGIORVM IN THVRINGIÆ CIRCVLO CENSVALI PRIMARIO IN SVPREMA CVRIA PROVINCIALI LIPSIENSI ADSESSORI NEC NON ORDINIS EQVESTRIS CIRCVITVS WEISENFELSSENS. DIRECTORI DESIGNATO

RELIQVA.

DOMINO SVO PER QVAM GRATIOSO.

HASCE

MEDITATIONES INAVGVRALES ACADEMICAS

IN DEVOTISSIMÆ MENTIS TESSERAM
HVMILLIME

DAT, DICAT, DEDICAT

Erffordiæ, d. XXVI. Jan.
M DCC XXX.

cliens servusque subjectissimus

WILHELMVS HENRICVS HILLE.



DISSERTATIONIS
CONSPECTUS.

§. I. Intricata & spinosa est Jurisdictionis doctrina tam Romanæ quàm Germanicæ, & cur?

§. II. Utilis tamen & necessaria est in Scholis & foris hodiernis Germanicæ Jurisdictionis Cognitio. Ratio.

§. III. Thema Dissertationis.

§. IV. Jurisdictionis FEUDALIS *definitio.*

§. V. Subjectum constituit Dn. feudi.

§. VI. Pares Curiæ. Consectaria.

§. VII. Objectum sunt causæ veræ feudales Controversæ.


§. VIII. Potestas extrajudicialis Domino feudi, quâ tali, competens, ad objectum JCtionis feudalis non pertinet.

§. IX. Quid sit causa verè feudadalis, circa quam tria veniunt consideranda.

§. X. XI. In casu, quo Vasallus alterum negat Convasallum, deficit causæ vera feudalitas in ordine ad litigantes Vasallos, *sed non in ordine ad* Feudi Dominum *& quomodo Vasallus â Domino Non-Vasallus assertus. Jurisdictionem Curiæ agnoscere teneatur?*

§. XII. Exempla & casus Causarum verè feudalium ex parte Domini.

§. XIII.



DE



DE JURISDICTIONIS ALLODIALIS ET FEUDALIS CONFLICTU AC UTRIUSQUE RATIONE FEUDORUM COMPETENTIA

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA.

§. I.



Urisdictionis doctrinam, quatenus de jure Romano proponitur, maximè intricatam esse, dudum dixerunt, solideque demonstrarunt alii, inter quos instar omnium nobis nominasse sufficit THOMASIUM *in not. ad Strauch. XX. I. p. 267.* Sed non minus spinosam Jurisdictionis modernæ in Germania materiam esse, eamque eodem, si non majori modo, in pelago versari, nemo facile vocabit in dubium, qui tot infinitas prædictæ Germaniæ moribus vel adinventas vel ex Jure Romano quidem retentas, sed penitus ferè alteratas ejusdem species, quarum omnes &

sin-

ſingulas nec ſic dictæ *arbores jurisdictionales*, quas tam BARTOLVS, quam GVIL. LUVERANVS quondam excogitarunt, includere & enumerare potuerunt, contemplabitur, nec non æqua animi lance, & ſine partium ſtudio perpendet, quanta difficultas & incertitudo huic doctrinæ vel ſolum inde acceſſerit, quod non pauci in id abſurditatis delapſi fuerint, quod cum GEORGIO OBRECHTO *diſp. de Juriſd. §. 70.* in decidendis modernis de Jurisdictione controverſiis à Juris Romani principiis malè recedi crediderint, non obſervantes, Jurisdictionis materiam inter Germanos ab antiquo jamjam receptam iisdem temporibus, quo Jura Romana in Germaniam penetrarunt, neutiquam fuiſſe immutatam, quin potius retentam ac in iis demum capitibus, quæ deficere viderentur è Jure Romano eſſe petitam, adeoque juxta CARPZOVIUM *pr. Crim. qu. 109. n. 14. Ekkolt. ad ff. de Juriſd. §. 3.* modernam Jurisdictionem potiſſimum è cujuscunque loci conſuetudine & ordinationibus eſſe petendam & dijudicandam, ita ut MEVIVS *P. 4. Dec. 290.* omni jure iſtos JCtos pernicioſos declaraverit, qui de moderna Jurisdictionis forma ex Legibus Romanis cenſent & diſputant; Hos enim æquè rem abſurdam committere, ac ſi lanam ab aſino quærere velint, cum utrobique oleum & operam ſint perdituri, rectè ex ore illorum, quos adduxit STRYK. *in uſ. mod. ff. L. 2. tit. 1. §. 1. in not. ad Huberi Prælect. P. 2. t. 1. p. 56.* retulit THOMASIVS, qui in peculiari & pereruditа Diſſertatione: *de Jurisdictionis & magiſtratuum differentia ſecundum mores Germanorum de anno 1703. Menſ. Novembr.* ſolidiori viâ, more ſolito, incedens, glaciem

in

in hac materia difficillima fregit, atque edocuit, quibus erroribus evitatis, quibusve fundamentis jactis, hæc doctrina confusa quodammodo in ordinem redigi valeat.

§. II.

Quo intricatior vero est hæc Jurisdictionis materia, eo utiliorem, magisque necessariam in scholis forisve Germaniæ eam esse, ex infinitis istis certaminibus & conflictibus gravissimis apparet ad oculum, qui tam super competentia concurrentiâ & præventione Jurisdictionis vel singulis diebus, non in territoriis solùm, sed quoque civitatibus & pagis, pro multitudine & diversitate specierum jurisdictionis, quæ in uno loco haud raro deprehenduntur, existere assolent. Quem enim, ut paucissimarum saltem mentionem heic injiciamus, latet, quot quantæque quotidie occurrant inter Judices diversos Jurisdictionis, *secularis* & *ecclesiasticæ*, *superioris* & *inferioris*, *criminalis* & *civilis*, *patrimonialis* & *personalis*, *togatæ* & *militaris*, *academicæ* & *civicæ*, nec non *allodialis* & *feudalis* contentiones & disputationes ? quarum certè accurata solidaque decisio absque genuinâ & fundamentali cognitione cujuscunque speciei jurisdictionis indolis, obtentu maximè est difficilis, si non plane impossibilis.

§. III.

Cum vero istæ collisiones, quæ haud raro ratione prædictæ Jurisdictionis ALLODIALIS & FEVDALIS occurrunt, ita sint comparatæ, ut haud sine magna difficultate sæpè intelligi queat, an & quatenus ex utraque specie in obveniente de feudo controversia una alteri locum relinquere de jure debeat; hinc ope-

ræ pretium existimavimus, si loco speciminis inauguralis hancce materiam satis illustrem & difficilem, missis aliarum Jurisdictionum collisionibus, inpræsentiarum ad examen revocemus, & quid de Jurisdictionis allodialis & feudalis conflictu justum sit, omni quo fieri potest compendio & perspicuitate, ita ostendamus, ut quænam utriusque circa unum idemque feudum sit competentia, hoc est, utrum Judex ordinarius seu allodialis (der Land-Richter) utrum vero Feudalis (der Lehn-Richter) controversiam de feudo subortam, prævia cognitione causæ decidere, sententiamque exequi, vel etiam interdum uterque electivè aut conjunctim concurrere possit & debeat? inde appareat.

§. IV.

Quod ut ordine fiat, in quo Jurisdictio feudalis consistat, præmittendum existimamus, hoc enim cognito, eo facilius, quousque ejus limites circa feudum se se extendant, contra vero jurisdictio allodialis locum sibi vindicare queat, intelligi poterit. Ideoque cum HULDER. ab EYBEN *Diss. de caus. Feudal. p. 677. sect. 5. §. 4.* per *jurisdictionem feudalem* ejusmodi *potestatem* intelligimus, *quæ Domino feudi (sine Contradictione tali) & paribus curiæ competit, de causis feudalibus controversis cognoscendi, judicandi & judicatum exequendi, jure feudali data & concessa.* Ex qua definitione satis apparet dilucidè Jurisdictionis feudalis indolem sequentibus potissimum absolvi capitibus: (1) quod non nisi Domino feudi, & paribus curiæ competat, (2) causas tantum feudales controversas pro objecto habeat, & (3) in potestate

cogno-

cognoſcendi, decidendi, & exequendi ejusmodi controverſias feudales conſiſtat.

§. V.

Primum quod attinet, quod ſcil. Domino feudi Jurisdictionem feudalem competere diximus, ex eo conſequitur: Quod Domino territorii, quà tali, feudalis ejusmodi Jurisdictio in feudum ibi ſitum nullatenus competat, illamque Jurisdictionem, quam quidem per accidens circa feuda interdum exercet, vel exercere poteſt, ſi non eſt ſimul feudi Dominus, neutiquam feudalem dici poſſe; ſed merè allodialem ſcil. ex jure territoriali potius, quam diſpoſitione feudiſticâ deſcendentem, cenſeri, Judicemque ejusmodi Principis ſubordinatum, tantum allodialem eſſe, hoc eſt, ordinarium, ut ut in cauſa vere feudali cognoverit vel deciderit, id quod jure interdum fieri poſſe, infra pluribus demonſtratum ibimus; Porro 2) illi ſaltem Domino feudi, *qui ſine contradictione talis eſt*, Jurisdictionem feudalem ſignificanter aſſeruimus, cum illam ex mera relatione quæ inter illum intercedit, & Vaſallum, exerceat. Quotiescunque itaque ejusmodi qualitas atque relatio feudiſtica ipſi vocatur in dubium, ſeu negatur, toties quoque Jurisdictio ejusdem, cum judicio feudali deficit, cum fundamentum hujusmodi nexus feudalis nondum aſſertum probatumque fuerit, prout recte concludit ROSENTHAL *de feud. Cap. 14. Concl. 2. n. 8.* de quo infra pluribus.

§. VI.

Sed nec ſolum *dominum feudi* Jurisdictionis feudalis ſubjectum eſſe, ſed quoque pares Curiæ, qui

 &

& pares de domo Domini *1. F. 26. §. si quibus:* vel etiam pares Curtis, *11. F. 2.* id est ejusdem Curiæ Vasalli dicuntur, simul adhibendos esse, ex Jure Longobardico *1. F. 18. & 2. F. 15. in fin.* in aprico positum est; Id quod tum quoque obtinet, quando inter ipsos Convasallos vertitur feudalis controversia; Quando enim ejusmodi lis inter Dominum & Vasallum oritur, Pares Curiæ eò minus abesse poterunt, quô Dominus in propria causa, sive hæc directe vel indirectè ipsum tangat, judex esse nequit; quin potius soli Pares ejusdem Curiæ, sub qua est Vasallus, & quidem omnes, nisi quidam fuerint electi, judicium, quod vocari solet das Mann-Gerichte/ exercent, *11. F. 16. & Land-R. L. 3. Art. 78. & Lehn-R. cap. 65.* Rectè enim SCHILTERUS *in Cod. Jur. Alemann. Feudal. ad Cap. X. §. 2.* hancce feudalis juris dispositionem in casu quo lis Vasallo cum ipso Domino intercedit, non summa solum niti æquitate ex eo existimat, quod in propria causa ipse judicare nequeat, sed quoque Vasallum ex juris necessitate, dominum feudi ad constituendum ejusmodi Judicium Parium adhuc hodie ex constitutione CONRADI SALICI IMPERAT. ad quam provocat OBERTUS *II. F. 16.* obligare posse arbitratur, præsertim cum hæc constitutio à LOTHARIO & FRIDERICO I. IMPP. renovata sit, nec ulla constitutio in Germaniâ extet in contrarium; Neque existimandum est, juxta Praxin modernam judicium Parium Curiæ omnino esse abolitum, cum plerosque Dominos feudi eminentiores per Regimina sua & Judicia aulica jurisdictionem feudalem, in causis feudalibus, expedire videa-

deamus; Nam cum iidem Ministri & Consiliarii vices Parium revera sustineant, atque non raro ex numero Vasallorum adsciti, nec non ad causas feudales conscientiosè decidendas juramento adstricti sint, adeoque si causam Dominus cum Vasallo habeat, is vices partis per procuratorem sustineat, non obscure apparet, quod in re ipsâ judicium parium nec hodie ab usu omninò recesserit. Ex quo prono alveo fluere censemus: Quod toties jurisdictio feudalis exercitium exulet ex parte Domini, quoties vel Paribus Curiæ plane destituitur, *II. feud. 16.* vel is tales quidem habeat, qui tamen certis ex causis ipsi judicare non possint, v. g. si in eâdem causâ feudali decidenda testes esse debeant, vel in totum suspecti sint. Idem HORN *cit. tr. Cap. 25. §. 3.* & SCHRADER *de feud. P. X. sect. 7. n. 113.* Unde porro apparet, vix esse, ut privato feudi Domino Jurisdictionis feudalis exercitium in ipsis causis feudalibus jure asseri queat, eò quod ut plurimum ejusmodi Curiæ Paribus careat, atque adeo juxta consuetudinum feudisticarum placita judicium feudale ritè efformare nequeat.

§. VII.

Alterum, idque primarium Jurisdictionis feudalis requisitum juxta definitionem à nobis supra §. IV. exhibitam objectum constituit, idque in *causis verè feudalibus controversis* consistit, ad quas omnis, quæ dominis & paribus Jurisdictio competit ita restringitur, ut ultra ejusmodi causas ne latum quidem unguem extendi valeat. Ubi ad duo potissimum attendendum erit. Primo scil. ut *causa sit verè feudalis*, deinde ut sit *controversa.*

§. VIII.

§. VIII.

Posterius quod attinet, omnis illa potestas, quam ratione rei feudalis, in ordine ad Vasallum non litigantem, sed consentientem ex natura & indole contractus feudalis & vigore solius dominii directi exercet, nec in controversiam quandam incidit, ad Jurisdictionem feudalem referri non potest, ac per consequens exercitium ejusdem in alieno quoque territorio si feudum ibidem situm, sine dubio vires suas exerit, cum ita domini territorii jura non magis infringat, quam si e. g. Dominus emphyteuseos vel census canonem ab emphyteuta vel censitico alieni territorii exigat, ac desuper cum ipso paciscatur vel transigat. Hinc Vasallum liberè de feudo Dominus investit, vel investituram renovat, juramentoque fidelitatis eundem adstringit, servitia feudalia indicit, biethet die Ritter- und Lehn-Pferde auf/ feudi qualitatem in suum praejudicium immutat ac e. g. masculinum in foemininum, vel ex pacto & providentia tale in merum hereditarium convertit, Vasallo facultatem testandi in sui praejudicium indulget, & qui sunt ejusmodi actus similes, non tam ad potestatem Domini judicialem, quam extra judicialem spectantes. B. Dn. MENKEN *de Vi superior. territor.* §. 43. *p.* 67. EYBEN. *Differt. de caus. Feudal. sect* 5. §. 4. *p.* 667. ROSENTHAL *de feud. Cap.* 12. *concl.* 20. *n.* 16. & *Cap.* 10. *concl.* 25. Cujus observationis effectus eo tendit, ut cum supra §. VI. Jurisdictionem Domini feudalem in rebus proprium interesse concernentibus penitus cessare dixerimus, de ejusmodi potestate extrajudiciali intuitu actuum supra

pra recensitorum, etiamsi ad proprium interesse domini tendant, aliud omnino statuendum, sit ita quidem, ut illas solus citra Parium Curiæ interventum, non tanquam Judex sed Dominus feudi directus expedire valeat. EYBEN *cit. loc.*

§. IX.

Ratione prioris membri sollicitè ad fundandam jurisdictionem feudalem inquirendum est, utrum res, de quâ controvertitur, *verè feudalis sit*, vel non; cum constet, non omnem de feudo controversiam pro causa feudali indistinctè statim esse habendam, si vel maxime apparenter talis esse haud raro nobis videri soleat. Ubi ita tenendum. Quod *quotiescunque inter duas pluresve personas de re vel facto feudali, ex legibus vel pactis feudisticis controvertitur, toties causa pro verè feudali habenda sit.* Ex qua descriptione, quænam sint causarum verè feudalium genuinæ notæ characteristicæ, ut equidem opinamur, satis perspicuè apparet, ac ita sunt comparatæ, ut conjunctim semper adesse debeant, ad hoc, ut causa pro verè feudali habenda sit, scil. 1.) existens controversia *super re vel facto feudali*; Dicitur autem illud res vel factum *feudale*, in quam, vel ad quod jus aliquod feudisticum ex ipsâ naturâ lege & contractu feudali promanans indeque decidendum competit, uti hoc ita rectè explicat ANTON. *Disp. feud. 14. thes. 1. lit. C.* verbis: *quando quæstio est ex lege seu contractu feudali* & item subsequentibus, *modo ex lege seu obligatione feudali instituatur.* Ex quo fluit 2.) alterum requisitum, scil. ut controvertatur inter *duas pluresve personas qua-*

 litate

litate feudali præditas, hoc eſt, ut inter actorem & reum vinculum feudale intercedat, & relatio; ut puta (a.) inter Dominum & Vaſallum, deinde (b.) inter Convaſallos, qui inter ſe unum eundemque feudi Dominum recognoſcunt, ac proin propter nexum ex contractu feudali inter illos ſubortum, quaſi ſocii & commilitones exiſtunt. SCHRADER *de feud ſect. 2. p. 10.* EYBEN *de cauſis feud. ſect. 3. §. 8. p. 660.* HORN. *Jurisprud. feud. C. 25. §. 1.* ROSENTHAL *P. 12. Concluſ. 4. n. 24. §. 10.* Accedit porro (3.) tertium cauſæ feudalis requiſitum, quod ſcil. litigantes qualitate ejusmodi feudali *ſine ulla contradictione* gaudeant. Quotiescunque enim inter litigantes de nexu & conditione *dominica* vel *Vaſallitica* non convenit, toties cauſa controverſa pro feudali haberi non poteſt, conſequenter nec Jurisdictio feudalis tali caſu locum ſibi vindicare poterit; Hinc cauſa feudalis eo ipſo talis eſſe deſinit, quo e. g. dominus negat, alterum qui ſe Vaſallum aſſerit eſſe Vaſallum vel (c.) Dominus alterum Vaſallum eſſe contendit, hic vero ſe talem eſſe negat aut (d.) duo coram eodem domino de eodem feudo controvertunt illudque utrique petunt, quorum tamen alteruter ſolum verus vaſallus eſſe & in Judicio vincere poteſt, adeoque ſe unius Domini Vaſallos eſſe invicem negant. Certe his caſibus alter alterum invitum ad judicium & forum feudale eo minus trahere poteſt, *II. F. 15. 20. & 46.* quo minus de eo, qui negatur Vaſallus, dici valet, quod Pares, vel Dominum habeat, qui judicium feudale conſtituere poſſint. *arg. II. F. 20. verſ. opponit.*

§. XI.

§. XI.

Notanter vero diximus, quod ejusmodi casibus *alter alterum invitum* ad forum feudale trahere nequeat. Nam supra allegato ultimo casu, si duo Vasalli semet invicem Convasallos ejusdem Domini esse negarunt, *intuitu* ipsius Curiæ feudalis, rem aliter se habere, ita quidem, ut utrosque Vasallos inter se contendentes omnino ad se vocare, neutiquam verò eorum alicui ejusdem jurisdictioni feudali se subducere liceat, per expressos textus *II. F. 15. & 46.* constitutum est, idque ex hac solida, quam adducit STRUV. *ex J. F. Cap. 16. §. VII.* ratione, quod tali casu uterque se dicat esse Vasallum, ac eo ipso quilibet in solidum ratione unius ejusdemque feudi eundem Dominum feudi agnoscat, ac consequenter etiam, uterque se, ut Vasallum decet, gerere, atque in Curia comparere sententiamque expectare debeat. Certum enim est, ob negationem convasallagii non adesse quidem causam verè feudalem ratione amborum Vasallorum inter se; Omnino tamen talem adesse ratione amborum Vasallorum, in ordine ad feudi Dominum. Deinde in primo quoque casu, quo inter Dominum & Vasallum ita controvertitur, ut ille hunc talem esse neget, ac e. g. investituram detrectet, prædium feudale vindicaturus, ad Judicium quidem feudale Vasallus invitus, ut §. præcedente dictum, ob defectum causæ verè feudalis, trahi non potest; Hoc ipsum tamen notabilem limitationem in illo casu admittit, quo Dominus, qui me Vasallum negaverat, judicio feudali se sponte submittit, atque curia feudali ita

 dispo-

nente me interimiſtice & conditionaliter de feudo controverſo ante omnia litis ſaltim ordinandæ, ſeu Judicii feudalis fundandi gratia inveſtire, juramenti vero feudalis præſtationem ac ſolennem & propriam inveſtituram, donec de principali cauſa, utrum ſim verus Vaſallus nec ne, à Curia legitimè definitum fuerit, differre faciat. Hoc enim in caſu ego qualitatem feudalem mihimet aſſerens, cognitionem Juris feudalis ſubterfugere neutiquam poſſum, per textum expreſſum *II. Feud. 20. & II. F. 39. §. ſi inter.* STRUV. *Exerc. J. F. Cap. XVI. §. 7. n. 2. & 3.* EYBEN *de cauſ. Feud. Sect. 3. §. 10. p. 660.* Confer. quoque ROSENTHAL. *de feud. cap. 12. Concl. 3. n. 31. ſeqq.* Imo ejusmodi interimiſticâ & conditionali inveſtitura pro fundanda Jurisdictione feudali nequidem tunc opus eſſe, quando iſte, inter quem & Dominum de feudo quodam controvertitur, ratione alterius feudi, ſine contradictione illius Domini eſt Vaſallus, ex eodem textu *II. F. 20. in fin.* probatum ivit STRUV. *cit. loc. n. 3.* ita quidem, ut de hoc feudo non controverſo inveſtituram Vaſallus ſine dubio accipiens, ratione quoque alterius *Feudi controverſi*, coram Curia feudali, idem cum Domino forum ſortiri, cauſaque ibidem tanquam vere feudalis ventilari debeat. *Idem* STRUV. *c. l. p. 592.*

§. XII.

Conſideravimus huc usque breviſſimè & in theſi cauſarum verè feudalium notas characteriſticas, quod quidem argumentum pleniori manu excuſſum legi poteſt apud EYBEN. *diſſert. de cauſis feudal. per tot.* Interea ex illis, quæ dicta ſunt, nunc ſine magna difficultate in hypo-

hypothesi applicatio fieri, & dijudicari poterit, an & quatenus hæc vel illa specialis controversia ratione feudorum obveniens, ad catalogum causarum verè feudalium jure referri queat ac debeat, ac per consequens sola Jurisdictio feudalis exclusa allodiali seu ordinaria, locum sibi vindicare valeat? id quod majoris illustrationis gratia vel duobus exemplis ostendisse juvabit. Sic ad causam verè feudalem sine dubio spectabit casus, quo v. g. (1) Dominus feudi à Vasallo sine contradictione tali, feudum ex capite feloniæ commissæ vindicat, vel si (2) propter insignem & notabilem prædii feudalis deteriorationem, vel illicitas exactiones contra ipsum agit; similiter (3) quando fidem quam Vasallus ei debet, sed non præstat, cum operis & officiis inde pendentibus, item (4) præstationem servitiorum feudalium à Vasallo exhibendorum exigat, nec non (5) Renovationem investituræ juramentumque fidelitatis postulet; (6) Alienationem feudi impediat, ac petitum consensum ac confirmationem alienationis vel oppignorationis deneget, vel etiam (7) laudemium Lehn-Geld oder Lehn-Wahr / quod secundum quarundam curiarum mores Domino competit, urgeat.

§. XIII.

Non minus porro ex parte Vasalli causa feudalis est indubia, quando (1.) hic mutuam e. g. fidelitatem à Domino postulat, per text. *II. F. 6.* ROSENTHAL *de feud. Cap. 8. Conclus. 1. n. 2. ibique allegati Dd. sub lit. C.* vel si (2.) ratione refutationis feudi cum Domino litigat, quam Vasallo, invito quoque Domino, legibus feudalibus permissam esse novimus,

STRUV. *Exercit. J. F. Cap. 12. §. 9.* Porro (3.) si quæ Vasallo controversia cum Domino inde oriatur, quod ille huic dominii sui directi in alium translationem prohibeat, quod â Vasallo fieri posse *ex II. Feud. 34. §. 1. & II. F. 24. §. in fin.* satis constat. Si quoque (4.) Vasallus à Convasallo amicitiam ac servitia convasallitica exigat, vel (5.) uterque convasallagium ratione unius domini & feudi sibimet invicem neget, uterque vero, quod sit verus Vasallus, affirmet, *II. F. 15. & 46.* STRUV. *Exercit. J. F. C. 16. §. 7. n. 2.*

§. XIV.

Quemadmodum verò potissima decidendi ratio, quare istæ in duobus proximè præcedentibus Paragraphis recensitæ Controversiæ ad vere feudales causas sint referendæ, in eô consistit, quod singulæ ita sint comparatæ, ut qualitas feudalis vel personarum, vel rerum in illis vocetur in dubium, adeoque mera jura feudistica, hoc est, ejusmodi qualitates morales concernant, quæ ex Contractu feudali, atque traditione eidem connexa, pactisque adjectis, vel etiam delicto feudali descendunt, atque non ex principiis juris ordinarii s. communis, sed merè feudalis decidendæ sunt; Ita, cur non ex eodem fundamento & cœteris paribus causæ quoque possessoriæ pro verè feudalibus haberi potius possint ac debeant, quam quod è numero earum penitus & indistincte secundum erroneam quorundam Doctorum Sententiam e. g. ROSENTHALII *Cap. 12. Concl. 12.* nec non VULTEJI *Jur. Feud. C. 2. n. 42.* aliorumve exterminandæ sint, causa non apparet nobis satis idonea, cum celeberr. EYBENIO *sæpe cit. Dissert. de caus. feudal. Sect. 4. §. 14.*

§. 14. seqq. & SCHILT. *Cap. X. ad Jus Alemann.* & *Inst. Feudal. Cap. 10. §. 3.* STRUVIO *Ex. J. F. Cap. 16. §. 4. n. 2.* & COCCEJO *in Hypomn. J. F. Tit. 13. §. 6.* qui nobiscum rectius omnino contrarium adstruunt. Extra omne enim dubium esse existimamus, causas possessorias eôdem modo ac petitorias ex jure feudali ita descendere posse, ut in illis petitum ad possessionis restitutionem vel turbationis omissionem eatenus, quatenus persona feudalis ad hoc est adstricta, efformari, ac sic ad factum aliquod feudisticum in libello concludi queat. Jam verò quotiescunque in libello ad rem vel factum feudisticum concluditur, in quo se fundat actor, toties causam feudalem adesse supra jam assertum dedimus. Longe aliter itaque se rem habere, lubentes indulgemus, si possessio feudi ob generalem & omnibus communem obligationem â personâ feudali, non ut tali, sed citra respectum feudisticum petatur; Hâc ratione enim ejusmodi possessorium ob defectum requisiti essentialis pro causa feudali non haberi, adeoque nec ad Jurisdictionem feudalem pertinere poterit, non quidem propterea, quod causa sit possessoria, sed propterea, quod non sit feudalis, STRUV. *dict. Exerc. XVI. §. 4. n. 3. & 4.* ubi etiam dubia præsertim ex textu ORDINAT. CAMERAL. *P. 2. tit. 7. verb.* Gäntzlich und endlich abgesprochen/ &c. quæ nostræ sententiæ quodammodo obstare videntur, satis solide diluit; vid. quoque de hoc textu SCHILTER. *in Inst. J. F. Cap. 10. §. 3.*

§. XV.

Suppositâ itaque causâ verè feudali & cæteris paribus Jurisdictionem feudalem ex parte Curiæ omnino

esse

esse fundatam, & ordinariam s. allodialem Judicem illi simpliciter locum relinquere debere, extra omnem contradictionem positum est; idque non solum quoad potestatem cognoscendi & judicandi, sed quoque quoad facultatem exequendi obtinet, quippe quibus partibus jurisdictionem feudalem, instar allodialis & ordinariæ, absolvi, supra (§. IV.) in definitione tradidimus. Hæcque exequendi potestas tanta est, ut â Judice feudali in ipsam quoque substantiam feudi fieri queat; id quod non solum de Jure communi, sed quoque in Saxoniâ obtinere, ex *II. F. 39. & 55.* juncta *Ordinat. Proc. Sax. Elect. recogn. ad tit. XL. §. 1.* manifestum est; ubi tamen probe notandum, quod, si Dominus feudi non simul sit Judex ordinarius, sed feudum in alterius territorio situm, Judex feudalis, nisi aliud forsan observantiâ contrariâ introductum sit, regulariter neque Vasallum immediate citare, multoque minus executionem judicati feudalis ipse immediate in rem feudalem peragere possit, quin potiusque utrobique subsidiariâ requisitione Judicis ordinarii opus sit. Ipsa enim recta ratio dictitat, superioritatem territorialem jurisdictionis ejusmodi feudalis exercitium ita temperare & restringere, ut nullatenus in illius vergat præjudicium. Vid. CAPITVL. LEOPOLD. *art. 3.* CAROL. VI. *art. 15.* & REC. IMP. *de A. 1654. §. 164.* Sicut itaque nemo judicum diversæ jurisdictionis sive secularis sive ecclesiasticæ citra ordinarii requisitionem citare potest partes, *arg. L. 1. §. 2. ff. de requ. reis & abs. damnand. Nov. 134. C. 5.* Ita nec plus potestatis judici feudali competere poterit, FRIDER â SANDE *in Consuetud. feud. Geldr. tr. 3. §. 3.*

3. §. 3. n. 9. quod intuitu poteſtatis exequendi eô magis obtinet, quô hæcce ſemper ſuperioritatis territorialis pars eſt, quæ vim juſtam & coactivam conjunctam habet, ac per conſequens nemini in alterius territorio competere poteſt. SCHILTER *Ex. ad ff. 46. §. 16. & 17.* ubi elegans Scabinorum Lipſienſium non adduxit ſolum præjudicium, ſed quoque idem, ratione ſolorum pertinentium in alterius territorio ſitorum obtinere, ſolide condocuit *cit. §. 17. Conf.* omnino Diſſertatio ſub Præſidio Dn. PRÆSIDIS *de eô, quod circa Executionem in bona feudalia juſtum eſt, Erfford. MDCCXXIX. die 19. Aug.* habita *§. 19. ſeqq.* in cujus *§. XVII. n. 2. p. 13.* quid de Jure Arreſti, ejusve fori competentia ratione feudorum, ſtatuendum, legi poterit.

§. XVI.

Interea pro certo habemus, Jurisdictionis curiæ feudalis legitime exercitæ vim in alienum omnino ſe extendere territorium, ita, ut ſententiam â curiâ, in cauſa verè feudali, ritè latam Dominus territorii ejusve ſubordinatum judicium ordinarium, ſi hoc fuerit conſueto modo requiſitum, ſtrictim executioni mandare promtumque auxilium Judici feudali requirenti ferre debeat; adeo, ut ſi hoc detrectet vel executionem retardet, ſuperior adiri, ac ſuper denegata vel protractâ juſtitiâ juſta querela moveri, mandatumque de exequendo ſine clauſulâ contra ipſum impetrari queat. *Perill.* Dn. DE ZECH *Diſſ. de Vt ſuper. territor. §. 42. p. 67.* Quô ipſo non immeritô â ſententia B. DN. TITII recedimus, qui in tr. des teutſchen Lehn-Rechts *Cap. 28. §. 44.* Domino feudi ejusve Curiæ in alieno territorio omnem omnino Jurisdictionem feudalem, invito territorii Domino, abnegat; Quæ ſententia, ſicut

 â com-

â communi Doctorum opinione penitus est aliena, ita quomodo salvis notissimis Juris Feudalis tam Alemannici,quam Longobardici principiis in Germaniâ receptis defendi sustinerique valeat, non videmus. Fac enim, Jurisdictionem feudalem comparativè ad ordinarium & generalem judicem, esse magis odiosam, quam favorabilem; largiamur etiam, quod sit strictissimi juris, ac limitata, nec non Jurisdictioni ordinariæ superinducta, prout recte docuisse supra citatum perill. Dn. DE ZECH *de Vi superior. territ. §. 39. p. 62.* legimus; Nil magis tamen inde inferri poterit, quam hancce Jurisdictionem ultra causæ verè feudalis limites in præjudicium judicis ordinarii ad causas forsan non feudales non esse extendendam, atque in dubio causam potius â Judice ordinario, quam Domino & curiâ feudali esse decidendam, *arg. II. F. 15. 34. §. si autem, & arg. Cap. 4. &. 15. X. de for. Comp.* conf. GAIL. *L. 1. Obs. 34. n. 6.* ZANGER *de except. P. 2. C. 4. n. 21. sequ.* SCHWENDEND. *ad Fibig. Proc. p. 315.* Negari enim haud potest, Domino feudi & ipsius Curiæ jurisdictionem in causis verè feudalibus originem ex ipso contractu feudali sortiri, ac in nexu & mutuà quadam Conventione inter personas qualitate feudali præditas fundari, quam dein usus & consuetudo inveterata non solum, sed quoque eam confirmans Lex CONRADI SALICI IMPERATORIS *2. F. 34.* ac supervenientes LOTHARII & FRIDER. I. IMPP. *II. F. 55.* renovationes, autoritate publicâ, intuitu causarum verè feudalium, donarunt; SCHILTER. *Inst. J. F. Cap. 10. §. 2.* COCCEJ. *Hypomn. J. F. Tit. 13. §. 4.* adeoque tanquam prorogata, publicèque confirmata, ut vult prælaudatus COCCEJUS citato

tato loco, considerari debeat, quam, semel recepto Jure Feudali, Dominus territorii in præjudicium Domini feudi ejusve Curiæ, propter jus, ex contractu feudali cum Vasallo invito, quæsitum, & firmiter radicatum, prætextu Jurisdictionis ordinariæ & generalis, utrisque contrahentibus vel alterutri eorum invitis, aufferre nequit. *vid.* SCHILTER. *supra cit. tr. & loc. p. 84.* quod tamen secus se se habere, si partibus contrahentibus ipsis aliud vel ab initio, vel ex post facto placuerit, lubentissime concedimus, cum Dn. EYBENIO, quem vide *cit. sæp. Dissert. sect. V. §. 8. 9. 10. & 11.* ubi solide *§. 10.* ostendit: ipsum quoque Principem, superiorem non recognoscentem, nec feudali jure antea obstrictum, per contractum feudalem cum longe inferiore Domino feudi innitum, Jurisdictioni hujus feudalis, juris necessitate, non minus adstringi, ac si privatus esset, cum præsumatur secundum *leges feudales* contraxisse, adeòque, si jurisdictioni feudali obnoxius esse nolit, istum per pactum sibi prospicere debere, quod tum omninò servandum esset.

§. XVII.

Atque hæcce de Jurisdictione feudali ejusve competentia in Compendio dixisse sufficiat. Jam ut quoque paucissimis Jurisdictionis ordinariæ s. allodialis circa feuda Competentiam ostendamus, rubricæ Dissertationis nostræ, ac tàm ordinis quàm temporis, intra quod sumus coarctati, ratio, nos admonet. Ubi duas pro fundamento præponemus Regulas, ex quibus universa Jurisdictio ordinaria circa feuda facili negotio dimetiri poterit. Quarum *prima: In caussis verè feudali-*

bus judex ordinarius regulariter plane eſt incompetens, & non niſi per accidens & in ſubſidium deſuper judicare poteſt. Altera eſt: *In cauſis non verè feudalibus ſed ſaltem apparenter talibus, vel etiam aperte allodialibus judex ordinarius, excluſo penitus Judice feudali, ſolitariè judicat.*

§. XVIII.

Regulam *priorem*, & ſpeciatim ejus *membrum primum* quod attinet, ſtatim apparet ejus veritas ex illis, quæ hactenus de Jurisdictionis feudalis Competentia ſolitaria in cauſis vere feudalibus adſtructum evictumque dedimus; Ubicunque enim Jurisdictio feudalis locum ſibi vindicat, ibi Jurisdictionem ordinariam ceſſare neceſſum eſt; cum hæc ſit *ſpecialis* & *prorogata*, quæ excludit *generalem* & *ordinariam*; præſertim ſi prorogata authoritate publica, conſenſuque expreſſo vel tacito Principis, tanquam fontis Jurisdictionis ordinariæ, eſt ſuffulta; Sicut autem hic conſenſus eo ipſo ſatis colligitur, quo Princeps ſubditis ſuis Feudorum recognitiones & poſſeſſiones in ſuo territorio active & paſſive indulget; Ita hoc ipſo objectio SCHILTERI quam *in Inſt. J. F. Cap. 10.* proponit, quaſi Jurisdictio feudalis pro prorogata ex eô haberi non poſſit, quod hæc in præjudicium judicis territorialis fieri non poſſit, illa tamen poſſit, per ſe corruit. De veritate *poſterioris membri*, Regulæ primæ, eô minus quoque dubitari poteſt, quo certius, toties reviviſcere jurisdictionem ordinariam & generalem, quoties deficit vel impeditur prorogata & ſpecialis. Dicitur autem in *cauſis verè feudalibus* Jurisdictio tunc deficere, vel impediri, quando v. g. (1) Dominus pares curiæ plane non habet, *II. F. 16.* (2) ſi quidem tales

les habet, hi tamen in eâdem causa judicare non possunt, forsan, quod in eâdem causa testes esse debeant. SCHRADER. *de Feud. P. XI. sect. 7. n. 113.* vel denique (3) si Dominus & pares ex rationabilibus causis suspecti recusentur, nec alii adsint, qui in locum illorum parium substitui queant, vel quoque superior judex feudalis deficiat. HORN. *Jur. feud. C. 25. §. 3.*

§. XIX.

Secundæ regulæ veritas ex eô apparet satis luculenter, quod jurisdictionem feudalem ad solas causas verè feudales restrictam, & limitatam, adeoque strictissimæ interpretationis eandem esse, supra ostensum sit, adeoque in causis allodialibus & verè non feudalibus, utut vel maximè tales esse quodammodo appareant, illam jurisdictioni ordinariæ indistinctè cedere debere, in propatulo sit; Res itaque eô redire videtur, ut quænam controversiæ vel causæ mere *allodiales* vel saltem *apparenter feudales* proprie sint, dispiciamus, quod exinde statim manifestum est, quando istæ personas feudali qualitate utrinque præditas, non concernunt, neque ex re vel facto feudali descendunt, ut ut vel maxime res feudalis ipsa in lite versetur; cum non ex objecto litis, sed causa petendi & conclusione de feudalitate actionis judicandum sit. Id quod exemplis quibusdam nunc illustrabimus.

§. XX.

Sic ergo (I.) supra jam evicimus: Dominum feudi incompetenter alterum ad curiam suam feudalem evocare, quem suum Vasallum esse ipse negat. *II. F. 20.* Idemque, si Vasallus se talem esse neget Domino, ex

 par-

paritate rationis obtinebit, cum sic utroque casu personæ qualitate feudali sine controversia præditæ deficiant, quæ hic partim â Domino, partim â Vasallo negata fuit. Neque (II.) Judex feudalis, sed solus allodialis competens est, in casu instituendæ actionis hypothecariæ, contra vasallum feudi ob debitum oppignorati possessorem, etiamsi Consensus Domini in hypothecam impetratus fuerit, ita quidem, ut judex territorialis in ipsam quoque substantiam feudi creditorem immittere queat; Hæc enim causa ex nullo Capite vere feudalis est; & Dominus in oppignorationem consentiens, consensisse quoque in ejus alienationem, ex illa causa necessario subsequentem, censendus est. *Ill. Dn. de* ZECH *Diss. de Vi super. territ. §. 39. p. 62.* Idemque ratione exactionis aliorum sic dictorum *debitorum feudalium* obtinere, identitas rationis præcipit. Porro (III.) actionem communi dividundo â Vasallo contra Convasallum nonnisi coram Judice ordinario, neutiquam verò coram Curia Feudali competenter instituendam esse existimamus, ac ita recte Cameram Imperialem quondam contra *Senatum Erffurthensem*, ad Curiam feudalem incompetenter in simili causa provocantem, ad litem coram ordinario contestandam, condemnasse legimus apud ROSENTHAL. *de Feudis Cap. XII. Concl. 12. n. 108. seqq.* Rationes decidendi videri possunt ibidem *n. 109. sqq.* (IV.) Si possessorio e.g. acquirendæ, retinendæ vel recuperandæ possessionis contra Convasallum vel Dominum, non ob violatum quodammodo Contractum feudalem, sed ob generalem saltem & omnibus communem obligationem, actum, atque possessionis


nis reſtitutio vel turbationis omiſſio â perſona feudali eodem modo ac â perſona extranea petita fuerit, fruſtra tali caſu coram judicio feudali ageretur, EYBEN. *de cauſ. feud. Sect. 4. §. 16. p. 665.* Multo minus (V.) coram alio, quam Ordinario Judice actio e. g. Confeſſoria vel negatoria ratione ſervitutis cujusdam fundo feudali debitæ vel non debitæ inſtitui poterit; nec hanc enim quæſtionem magis feudalem eſſe, quam illam, quâ de operarum Ruſticorum, aliorumve jurium particularium, prædiorum feudalium, vindicatione agitur, in ſupra *cit. Diſſert. de Vi ſuperior. territor. §. 40. p. 63. & 64.* ſatis edoctum eſt, Confer. *II. f. 28. §. ſi Vaſallus, & II. f. 43.* Huc quoque (VI.) ſpectabit caſus, coram ſolo judice ordinario, non feudali ventilandus, quo actio ex ſola promiſſione feudi contra alterum hoc fine intenditur, ut promiſſum adimpleatur & feudum conſtituatur, arg. *II. F. 20.* vel (VII.) ſi de ſolis fructibus feudi inter perſonas qualitate feudali præditas controvertitur; Nam plane incompetentem eſſe heic judicem feudalem, apparet ex STRUV. *Ex. J. F. C. 16. §. 7. n. 1. junct. Cap. 12. §. 7.*

§. XXI.

Infiniti adhuc proſtarent caſus, quibus illa, quæ pro fundanda Jurisdictione ordinaria & allodiali ratione feudorum, in medium produximus, haud parum illuſtrari poſſent; Sed cum partim brevitas temporis, quo minus frenum laxare queamus, nobis obicem ponat, partim ex generalibus regulis ſupra propoſitis omnes fere caſus obvenientes, quatenus ad feudalem Jurisdictionem pertineant, vel ordinariam, ſine difficultate, judi-

judicari queat, heic ſubſiſtere decrevimus, hôc ſaltem addendo, quod quemadmodum, ſi dubium ſit, utrum cauſa potius â Judice ordinario, quam Domino & Curia feudali tractanda, pro illo potius quam hoc præſumendum ſit, idque per ſolidas rationes, quas adduxit Perill. Dn. DE ZECH *de Vi ſuper. territor. §.39.p.62.* Ita Dominus feudi in caſu, quo Reus coram ipſius curia conventus exceptionem fori incompetentis opponit, de competentia fori ſui ipſe pronunciare nequeat; Cum ſit ejus cauſa verè propria, itaque comparata, ut jurisdictio ipſius cum re familiari arctiſſimo vinculo ſit conjuncta, cum eô ipſo quo ſe Dominus, competentem pronunciat, ſimul aſſerit, ſe habere jura in re & ad rem feudiſtica, & dominium feudi directum. Jam quotiescunque de particulari & privato ſ. patrimonialia Judicis commodo ſimul agitur, toties de ſuâ Jurisdictione illum cognoſcere non poſſe, ipſa æquitas naturalis exigere videtur, & recte tradit SVRDVS *Conſ. 286. n. 14.* quæ omnia in Judice ordinario ſecus ſe habere, res ipſa loquitur, adeoque non mirum, ſi jura ſuper propria jurisdictionis competentia pronunciandi eidem indulſerint per *L. 2. ff. ſi quis in jus vocat. non ierit. L. 5. ff. de Jud.* contra vero judici particulari & ad certam cauſam conſtituto, idem denegaverint. ID. SVRD. *c. l. n. 12.* & CAVALCAN. *P. 1. Dec. 11. n. 17.*

TANTVM.



(o)